



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

X. Fidendum Deo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)



intimo animi sensu dicere solitus, accidere nihil posse quod nollet, & quo turbaretur. Nec fortius dicere solitus, quàm facere: cùm graves jacturas, molestissimas lites, frequentes morbos, subita incendia, aliâque tristium eventorum, æquali semper vultu, & eodem quo lætitiâ ac fælicitatem aspexerit, ex quo ad excelsam virtutem à Deo vocatus, ejus voluntatem in omnibus cæpit intueri.

X. *Fidendum Deo.* Quid aliquos commemoro? Eò pertigerunt omnes, qui Providentiæ Dei totos sese permisere, & ut id facerent, fiduciam de forti illius ac suavi ductu habuere. Supra petram hanc fundati, inundationibus procellisque obsistunt, dum arenaria ædificia flatibus & aquis subruuntur. Qui enim confidunt in Domino, sicut mons Sion non commovebitur, etsi aliorum montium cacumina terræmotibus vacillent, hient latera, tremant fundamenta. Nec mirum, cùm Sionis habitator & protector sit Dominus, & mentes Sioni similes præsidii sui spe certa contra incurrentia om-



254 BONA VOLUNTAS  
nia stabiliat. Rex Israëlitarum Jehu,  
libro Regum 4. cap. 10. Jonadabo sibi  
occurrenti: *Numquid, inquit, est cor tuum  
rectum, sicut cor meum cum corde tuo.* Cùm  
esse Jonadabus respondisset: *Si est, in-  
quit, da manum tuam.* At ille levavit ad  
se in currum, dixitque ei, *veni mecum.* Ita  
nobiscum agit Deus. Si cor nostrum  
rectum est cum corde ejus, si voluntas  
nostra rectissimæ ejus voluntati aptè res-  
pondet: manu auxilii sui manum infirmi-  
tatis nostræ apprehendit, levat nos ad se,  
curru gratiæ suæ vehit nos, jungit se no-  
bis, & nos sibi, aitque, quod Patriarchæ  
Isaaco Genes. cap. 26. *Noli timere, quia  
ego tecum sum.* Et verò, ut monet Au-  
gustinus in Psal. 36. *Protegitur Impera-  
tor scutatis, & non timet: protegitur morta-  
lis à mortalibus, & securus est: protegitur  
mortalis ab immortalis, & trepidabit?* Nau-  
tæ inter procellas trepidanti fiduciam de-  
dit vox illa temerarii Imperatoris: *Quid  
times? Cæsaris fortunam vehis. Quid  
tu, homo Deo credens & credite, in me-  
diis licèt naufragiis & mortibus timeas,*  
qui



qui non hominis unius fortunam vehis,  
sed ab ipsa Dei tui providentia veheris,  
& in ejus gloriæ rate, velut in Noëmi arca,  
navigas ?

XI. Ex generosissimis magnanimi  
*Securitas*  
*fiduciam*  
*sequitur.* Apostoli vocibus hæc una est,  
ad Philip. cap. 4. *Scio humiliari,*  
*scio & abundare: ubique & in omnibus insti-*  
*tutus sum, & satiari, & esuriri, & abundare,*  
*& penuriam pati.* Tantæ æquanimittatis &  
tranquillitatis, per tam varios eventus,  
caussa est, quia *omnia possum in eo, qui me*  
*confortat.* Ei me permitto, ei fido, in eum  
me projicio, qui nunquam derelinquit  
sperantes in se, nec se subtrahit inniten-  
tibus sibi. Christus posteaquam Aposto-  
lis dixit, *Non turbetur cor vestrum, neque*  
*formidet: audistis, inquit, quia dixi vobis,*  
*vado, & venio ad vos.* Quasi diceret: præ-  
sentia mea ac protectio vanos vobis om-  
nes terrores excutiat: adsum, etsi non  
conspiciar; juvo, licet non sentiar; non  
discedo, quamvis discessum minari videar.  
Eleganter Isaias cap. 7. Regi Juda, Reges  
duos Hierosolymæ cum validis copiis im-  
minentes.